

V c
617





h. 1, 74. FR I, 74

Vc
617

14
1e

Q. D. B. V.

HEROICA SAXONUM SYMBOLA,

b. c.

NATALIS XII,

QVEM

SERENISSIMUS PRINCEPS ET DOMINUS

DN. JOHANNES

GEORGIUS IV,

DUX SAXONIÆ, JULIÆ CLIVIÆ,

AC MONTIUM ETC. ETC. ETC.

PRINCEPS JUVENTUTIS,

GLORIOSISSIMO

PROAVI, AVI, PATRIS

NOMINE CONSPICUUS,

D. ^{XVIII.} _{XXVIII.} OCTOBR. M DC LXXIX.

FELICITER ADSPEXIT;

OMINIBUS SYMBOLICIS,

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI,

CELEBRATUS,

SUB MODERAMINE

CHRISTIANI WEISII, RECTORIS.

A DECLAMATORIBUS

CONSTANTINO FRIDERICO Dedekind / DRESD.

Gotthelf Ehrenreich Beckern / STOLPENSIS.

GEORGIO FRIDERICO Lingken / DRESD.

JOHANNE Gottfried Dedekind / DRESD.



ZITTAVIÆ,

TYPIS MICHAELIS HARTMANNI.



HERBICIA SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO

SYNONYMUM SYMBOLO



SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
QVEM
NATIVITAS ET FORTUNA
SAXONEM,
INDOLES ET VIRTUS
JOHANNEM GEOR-
GIUM,
NASCENDI ORDO
AC CONSTANTIAE OMEN
QVARTUM
DICTITAVIT;
DOMINO INDULGENTISSIMO,
NVNC
AMABILI, PIO, FLORENTI,
OLIM
AUGUSTO, MAGNANIMO ET
PACIFICO,
DIES SAXONICOS
h. e.
SALUTEM, SUCCESSUM, INCREMENTUM
DEVOTE PRECATUR

QVIN ET
EXERCITATIONES NATALITIAS,

Non quales decet exhibere PRINCIPI,
sed quales expectari solent ab Inexercitatis;
non quas AULA requirit
à Personis DOMINO ministrantibus,
sed quas Schola permittit
Juvenibus ad servitia gratiora progressuris,
humillimè offert,

simulq;
LIBERTATE PRÆCEPTORIBUS HAUD
INVIDENDA,

Industriam suam, vota sua,
Profectus suos,

figillatim

Auditores Electorali Patria non indignos,

DEDEKINDIOS,

BECKERUM,

LINGKIUUM,

PARENTUM Nomine satis commen-
datos,

subjectissimè denuo commendare
audet

devotissimus Servus

CHRISTIANUS WEISE, R.



ORATIO I.

QUA

COMMILITONES EXHORTATUR

CONSTANTINUS FRIDERICUS *Deefind.*

AVDITORES.

Cuido Rex Italarum, cum sub finem seculi post Christum natum noni, in monasterio hospitium quævisset, eademq; ipsâ nocte Regia conjux Lambertum filium esset enixa; ea Parentis existerat lætitia, ut doni loco tantum auri pondus adjudicaret monasterio, quantum conficeret ipsa infantis gravitas. Et enimvero splendidissima hæc liberalitas claris indiciis ostendit, non modo amorem, quem infans nuperrimè in lucem editus undiquaq; excitavisset, verum etiam cupidinem, quæ lætificandis subditis omnem operam, omnesq; sumptus conferre vehementer conaretur.

Quod si nunc in memoriam velimus revocare, quos plausus, quas gratulationes, quam benè precandi materiam felicissimus hic mensis, duobus abhinc, & quod excurrit, lustris, in SERENISSIMA AC POTENTISSIMA SAXONUM FAMILIA excitaverit, quanta futuri temporis spes pristinis omnibus accreverit; cum MAXIMI ELECTORIS FILIUS DN. JOHANNES GEORGIUS III. DOMINUS noster Clementissimus, dulcissimum NOMINIS ac DIGNITATIS HÆREDEM Paternis brachiis amplecti inciperet: non immerito summa illa hilaritas oculis obversatur nostris, quæ & AVOS GLORIOSISSIMOS & PARENTES FELICISSIMOS cumulativè occupaverat: quin & pretiosissimum

mum simul intuemur donum, quod è manu TANTI PRINCIPIS lætissima Patria accipere est visa. Penè dixerim, vel omni potius jure affirmaverim, Guidonis illa beneficia, cum NATALITIIS nostris Præmiis comparari omnino haud posse. Quantulum enim auri fuerit quod exæquando infantis ponderi sufficiat? Ast si cogitemus, sub laudabili PRINCIPUM REGIMINE, incolas in continuò fortunarum ac divitiarum augmento conservari, adeoq; commodum auri augentiq; usum introduci: quis ita fuerit, sive in veritatem, sive in publicam salutem injurius, quin aureum vel gemmeum potius hoc donum reputet, cujus accessione Posteritas de perpetuâ opulentiâ poterit gratulari.

Et commodè quidem nunc incidit nummus, in nativitate hodierni Ducis Eboracensis ab Anglis excusus, quem commendaverat hæc inscriptio:

NON SIC MILLE COHORTES.

Quasi diceret Lemmatis inventor, ne à copiosissimò quidem exercitu sperari posse, nec tantam in universos cives conferri securitatem per fidissimos milites, quàm ab unicò Regni hærede omnes sibi soleant polliceri. Sanè enim modò non dissimili sub felicissimam JOHANNIS GEORGII IV. Nativitatem auream vel argenteam hanc Scripturam exprimere potuisset Patria:

NON SIC MILLE THESAURI.

Hoc est: Tantastrarum divitiarum non esset securitas, si vel cum ipsâ pluviam deciderent millenæ Aurimassæ, quanta nunc illuxit, ubi natus est, quem Posteritas divitiarum habebit defensorem. Et millenariam hanc fortunam præfagiis non contemnendis jamdudum exhibuit Augustissimum CHRISTIANI I. SAXONIÆ ELECTORIS Epitaphium, quod è Salomonis Cantico Canticorum faustissimam hanc gerit tesseram: COLLUM TUUM SIMILE TURRI DAVIDIS, ARMATURIS BENE INSTRUCTÆ, DE QUA MILLIA PENDENT ARMA, ET VARIA SCUTA HEROUM. O divinum vaticini-

ni;

niūm! Certè **NOMEN DEI** ut arx invictissima apud nos per omnes temporum decursus effulsit, ac aurea **SAXONICORUM HEROUM SCUTA** subditis non solum, ad hoc usq; tempus, divisam in mille partes lætitiā attulerunt; sed quoties Divinus eorum Sanguis propagatur, toties in plures abit millenarios salutaris hic numerus, nec viliori aspectu omnium fruuntur oculi, quàm olim in exercitu Alexandri M. cui illustrando incedebant milites ab argenteis clypeis dicti **Argyraspidæ**; ac in veteri Romanorum Capitolio, ubi devictorum Samnitium clypei (Livius quadragies mille numerat) aurò nitidissimè exornati, maximum sane lumen Palatio per orbem celeberrimo attulerant. Ac proinde grates immortales **DEO. T. O. M.** persolvimus, qui tantò cumulò turrium, clypeorum, aliorumq; pignorum nostræ prosperitatis omen evexit in melius, & nunquam aurei seculi aurea præfagia penitus abesse voluit.

De Henrico IV. Gallorum Rege referunt historici, quod, cum ab Angliæ Reginâ Elifabetha bis ac vicies mille Ducatos, in specie, ut loquuntur mercatores, accepisset, libere fuerit confessus, tantam auri signati summam simul ac semel à se nunquam esse conspectam. Quid nos, dum aurea Saxonum dona perpendimus? O accedite omnes quorum voluptas est florere Saxoniam, ut si auream **DEI** benedictionem, thesauros nobilissimæ pacis, justitiæ, pietatis & omnium virtutum affluentiam adspectaturi estis; oculi nunc in florentissimâ hâc Domò spectanda simul & admiranda inveniant.

Adspicite **POTENTISSIMUM ELECTOREM**: nonne favente ac volente **DEO** omnem gubernandi laudem illustratissimis suis actionibus acquisivit, vel ut rectius dicam, superavit? Adeoq; si apud præcos Imperatores, velut **MAJESTATIS FELICITATISQ;** omen, **AUREA FORTUNÆ IMAGO** in eorum collocata fuit cubiculo: O quanto rectius in **ELECTO-**
RA-

RALI hoc CUBICULO, non fictam è caduco metallò fortunam, sed verissimum FORTUNÆ STATOREM ET EFFECTOREM versari, radiosq; salutis omnino aureos dispergere crediderimus! Hoc nimirum fortunæ melioris signum OPTIMUS PATER in omnigenum Posteritatis solatium sibi adjunxit, ne, cujus splendidissimum caput GLORIOSISSIMO JOHANNIS GEORGII NOMINE incipit splendere, fortunatam ipsius nominis efficaciam cuiquam invidere voluisse videatur. O decus verè aureum! O cimelium quibuslibet gemmis & unionibus præferendum! Et ista quidem singula, si accuratius nobiscum consideraverimus, gravissime profectò causæ permovere animos nostros possunt, ut promptissimam precandi, beneq; ominandi devotionem subjectissimis officiis contestemur. Neq; timendum est, ut votorum via nobis occludatur, siquidem splendidissima ELECTORIS Aula, sive tacitis, sive apertis plausibus dedicatum hoc feriori Posteritati pignus prosequitur. Quibus quidem Auctoribus pium hoc iter insistere, ac speciminis Oratorii locò, quod à nostris studiis postulari posse videbatur, in Amplissimo Virorum confessu, de hâc ipsâ NATALIUM SAXONICORUM PROSPERITATE aliquid, pro virum modulò, in medium proferre, ac imprimis DUODECIMUM JOHANNI GEORGIO IV. NATALEM decenter gratulari constituimus.

Quamobrem vires probate vestras, svavissimi commilitones, vobisq; firmissimis argumentis habete persuasum, hos optimos studiorum vestrorum esse fructus, si exercitia hæc Scholastica subinde ad debitam subditorum observantiam ac subjectionem quam diligentissimè dirigantur; possitq; inclytus PATER PATRIÆ agnoscere, studia non nisi publicis commodis aut promovendis aut precando impetrandis destinari. Sed cur vobis admonendis operam impendo

do? siquidem optimas adhortationis vices subditissimus uniuscujusq; amor jamdum occupavit. Inde ne nullum ego Symbolum adjecisse videar, illud breviter de FRIDERICO SAPIENTE ELECTORE SAXONICO proferam, qui quoties diem NATALEM celebraret, totidem pauperibus aureos solvere jussit, quot ætatis numeraret annos. Credite quæso, Commilitones, Vosq; Viri Amplissimi, fore ut cum annis HUIUS PRINCIPIS etiam virtutes augmentum indipiscantur, ac recurrentibus subinde Natalibus majori quoq; & auctiori præconio describi ac deprædicari mereantur. Et istud verò fuerit ex numero non annorum sed virtutum subditis designare aureos Natalitios. Et istis porro incitamenti subditorum eloquentia mirum surrexisse gratulabitur.

D I X I.



ORATIO. II.
QUA PRINCIPEM JUVENTUTIS
JOHANNI GEORGIO I.
SIMILLIMUM OPTAVIT.

Gottheff Chrenreich Beder.

Ræclarum fanè est, quod de inclyto hoc Natali mones, dilectissime Commilito: siue enim natalis mei soli conditionem, siue humillimam ac subjectissimam meam observantiam, ELECTORALI huic SUPERIORITATI jamdudum debitam, paulo altius intuear, pulchrâ gratulandi necessitatem, velut severam aliquam legem, humeris nunc meis sentio impositam.

Equidem sicut terra Soli nullas omnino offerre potest gratias, quibus beneficia singulis momentis demissa queant exsolvi: ita Princeps dignam pro tantis imperandi, custodiendi, defendendi præmiis gra-

B

ti-

tiam à Subdito frustra exposcit. Interim, ut supra dictum, remunerationis aliquam vicem exprimere videtur pietas, in devotam precandi optandiq; promptitudinem effusa.

Ast quæ hujus acclamationis sit materia? unde subjecta hæc eloquentia suum capiat argumentum? Equidem à SPLENDIDISSIMI hujus AUDITORI pietate ac devotione minus me nunc abiturum confido, si **JOHANNEM GEORGIUM I.** beatissimæ memoriæ contemplandum introduxero, cui quippe felicissimum hoc nomen Electoralis hæc debet **FAMILIA.** O faxit saltem **OMNIPOTENS** ille **PATER,** ut Heroicus inclyti **ILLIUS CAPITIS** Spiritus in **TENERO HOC CAPITE** fiat geminus, ac sera tandem posteritas simili studio, curâ, amore & pietate se gubernari intelligat. Cæterum ne ad infinitas has virtutes prolixus aqvè verborum apparatus requiri videatur, quibus nec verborum meorum tenuitas, nec temporis ad dicendum destinati spatium sufficeret; libet exponere **BEATISSIMI HUIUS ELECTORIS** Symbolum, quo vivens Christianam suam prudentiam testabatur:

SCOPUS VITÆ MEÆ CHRISTUS.

Utinam hæc verba, plus quam aurea, similiter **SERENISSIMO** huic **CAPITI,** (quod haud vanè auguror) adhæreant, clarioremq; agendo & benemerendo efficaciam demonstrant, quam nunc exprimere valet nostra optantium fiducia.

Equidem Bruxellenses, cum Carolo V. Imperatori ac Domino, quem habuerant, Gloriosissimo, extremos exequiarum honores præstarent, ejusq; reitem haberent Filium & Successorem Philippum II; inter alia Navem in doloris castro exhibebant, quæ tres illas Christianorum Virtutes **SPEM, FIDEM, & AMOREM** præfiguraret: non sine omine, quemadmodum Antecessor his virtutibus probè innotuisset,

set, ita nunc Successoris fore munus, ut honoris huius memoriam assiduâ imitatione servare conaretur illibatam. Sed habeant Belgæ suum navigium, si OPTIMUS hic ELECOR non aliis Comitibus, sive stipatus sive adjutus, per vastissimum Vanitatis & miseriæ Oceanum ad Cœli felicem portum enavigavit. Etenim dum CHRISTUM appellat, FIDEM prodit; SCOPI mentio SPEM ostendit, VITAM qui nominat curis Imperioq; destinatam, genuini AMORIS imaginem expressit.

O quantus Fidei ac pietatis ardor in excelsis hoc Capite effulgebat! ô quam faventissimo jure PHILO-CHRISTI nomen sublimioribus suis titulis adscribere poterat, exemplo Marciani Imperatoris, quem novimus hoc charactere velut jactitare voluisse Christianissimi titulum, tunc Cæsaribus Regibusq; haud omninò vel ignotum vel inusitatum. Cur enim is non designetur Christianissimus, imò omnibus præferatur Philo Christis, qui propagationem Religionis orthodoxæ, perpetuamq; ejus Conservationem, sibi nunquam non habuit commendatissimam; qui ditiorum nostram, ne ad falsam prolaberetur doctrinam, fortiter defendit; qui pro templis eorumq; Ministris paternum ferè gessit animum; quiq; tandem integrum Vitæ suæ curriculum. Imò vel singulos sermones ultimo hoc verborum velut oraculo obsignavit:

JESUM MEUM NON DESERO.

Et vero si Johannis Meursii Rerum Danicarum Scriptoris de splendidissimâ suorum Regum familiâ hæc est laus; FLOREBIT QVOAD PIETATEM COLET, UNAM OMNIUM REGNORUM FIRMAMENTUM VALIDISSIMUM; cur idem hoc de SAXONUM FAMILIA tot nominibus DANIÆ conjunctâ jactitare displiceat? Aut cur, quod Canutus II. Daniæ Rex coronam Capiti suo detractam Jesu crucifixo fertur imposuisse, minor sit voluptas eadem de pientissimo nostro ELECTORE gloriari? non enim pretium unius coronæ, sed
in-

infinitam pecuniæ fortem Christo consecravit, h. e. Idem effecit ut gloria Christi ac doctrina subditorum animis instillata, seræ tandem posteritati innotesceret, adeoq; Crucifixi Christi memoria in singulorum pectoribus evaderet aurea.

Nunc verò quis est, qui **SERENISSIMUM ELECTOREM** nostrum per vitam verâ pietate unicoq; fidei scopo occupatum meminerit, neq; tamen de firmissimâ Ejus **SPE** similia deprædicare constituat? Sanè Imperator Adrianus eum in finem monetæ hæc verba impressit, **SPES PERPETUA AUGUSTI PATRIS PATRIÆ**, quòd is optimum hunc judicasset Principem, qui meliora semper Consilia animo voveret, ac adeò de meliori eventu nunquam desperaret. O imaginem Publico nostro Parenti nulla ex parte dissimilem! Speravit augmentum Ecclesiæ, speravit affluentiam Reipublicæ, speravit incrementa singulorum Civium. Neq; mirum est, religiosum hunc Principem de sua **SPE** fuisse quàm certissimum, qui firmissimum sibi hujus fundamentum h. e. Divinæ Providentiæ favorem promittere poterat. Funestum sanè Flori Historici de Pompejo Sexto, Magni, sed infelicissimi Pompeji Filio, judicium erat: **MAGNÆ INDOLIS SIGNUM ESSE, SPERARE SEMPER**: Ast feliciori notâ **SAXONICI** nostri **HEROIS** vitam illustrare licuerit: **CHRISTIANÆ INDOLIS SIGNUM EST, SPERARE SEMPER**. Ita meliorem expectavit temporis statum, postquam saluberrimis primò legibus, porrò optimâ, superiori bello, adhibita moderatione, tandem restituta per suas provincias pace perpetuam meliòris conditionis **SPEM** concitavit. O quanta speravit de orthodoxâ Religione, quanta de **QUATERNARIO GLORIOSISSIMORUM FILIORUM NUMERO**, qui vivo adhuc Parente plenam virtutum hæreditatem videbantur indepti.

Exiguum vero felicitatis erat omen, ubi mortuo Imperatore Tacito ab Aruspibus optimus promit-

sed

teretur Imperator, SED QUI DEMUM VENTURUS ESSET
POST MILLE ANNOS. Cum ex aduerso SERENISSI-
MUS ELECTOR præstantiam suam in QVADRU-
PLICI FILIORUM VITA cognosceret, prius-
quam vitâ se intelligeret destitutum. Quid multis?
beatum etiam ex hâc vitâ diceßum sperando expe-
ctavit. Etenim ut Alexander M. ad continentem A-
siæ delatus, jaculo in hanc terram emisso, occupari
plenam possessionem demonstrabat; ita Princeps,
qui CHRISTUM VITÆ SUÆ SCOPUM designaverat,
SPEI jaculum, non nisi in eam beatorum terram, emit-
tere poterat, in quâ tandem æternum regnum æter-
nam Gloriam, omni Persarum luxu splendidior em-
set percepturus.

Tandem AMOR, quæ tertia non saltem CARO-
LI V. sed nostri etiã ELECTORIS, inter suos primi &
primarii, Virtus fuit, tot illustribus se probavit indiciis,
ut vel hâc in parte omne perfectionis punctum tulif-
se videatur. Quod si enim Amorem PARENTIBUS
SUIS exhibitum perlustrare velimus, moneta saltem
adspiciatur in honorem SERENISSIMÆ MATRIS,
anno hujus seculi decimo septimo, cusa, quâ Princeps
pietatis plenissimus Matrem in Sellâ sedentem, se ve-
rò ad ejus genua advolutum expresserat, adscripto
Lemmate: UT SALOMON, SIC EGO MA-
TREM: quasi diceret: si Salomon Matri Dextram
concessit, cur ego me hâc in re à Sapientissimo hoc
Rege vinci patiar?

Quantam verò & in animo servaverit, & ipso
semper opere præstiterit CÆSARIS Amorem, sen-
tentia confirmat, quam à Beatissimo FRATRE
CHRISTIANO II. velut hæreditario jure acceptã,
nunc aureis literis Anti Camerae inscriptam fuisse, no-
vimus: COLO DEUM, VENEROR IMPERA-
TOREM, AC DILIGO JUSTITIAM Propè
supervacaneum videtur de Amore, quem habuit er-
ga Subditos, multa differere, cum & ipsa viciniarum
arva, per tot annorum decursus, amoris fructum ju-
cundissimis sanè documentis sæpius perceperint,
C per-

perceptumq; concelebraverint. Et sub isto demum **PRINCIPE** veritas vaticinii emicuit, cur **DIVUS CHRISTIANUS I PARENS** Electorali suæ Sedi blandam **PELICANI** imaginem adhibuisset: quod nimirum ex Ejusdem lumbis esset venturus, qui Amorem non beneficiis, sed sanguine etiam, & periculis morti propinquis aliquando testaretur.

Hic in mentem venit moneta imperante Adriano expressa, quæ aram exhibebat, inter Imperatorem & milites mediam, addito Lemmate, omnibus Laconismis argutiore: **SECURITAS**. Nam quantò melius erat talia hîc inscribi, ubi pietas ad omnia utilis, ardentistudio, Principis, Magistratum ac Subditorum animos ita penetravit, ut summam futuris temporibus Securitatem, è securâ præsentium prosperitate, polliceretur.

O igitur veni, **SERENISSIME ELECTORATUS HÆRES**, ac disce hoc Symbolum **JOHANNI GEORGIO** proprium, sive dictis, sive quod magis exopto, sensu ac usu comprobare. Sic novam gratulandi occasionẽ dabunt singuli Natales: sic **FIDES**, **AMOR** ac **SPES** nostra lætabitur, si Divus Proavus aliquando exemplum suum in **TE** ad immortalitatem processisse conspiciat. Adspiret Divina Gratia!

Tu verò, svavissime Commilito, tantum in firmandâ meâ sententiâ perrexeris, quantum ingenui Civis, obstrictissimiq; subditi officium requirit.

Et faxit Deus, ne quis spe sua vel deceptum vel dejectum se fuisse conqveratur.

D I X I




ORA-

ORATIO. III.

QUA SERENISSIMUM HUNC FILIUM JOHANNI GEORGIO II. SIMILLIMUM OPTAVIT.

GEORGIUS FRIDERICUS *Singfe.*

 Ptimè tuo jam satisfecisti officio, Commilito Svavissime: cum enim SERENISSIMUS ille ELECTOR dimidium fermè Seculum felici suo & pientissimo Regimine collustraverit, nihil ferè Patriæ aut felicius aut præstantius optari potest unquam, nisi ut, non dimidium iminentis saltem Seculi, sed multa abhinc secula ejusmodi Dominis ac Electoribus reddantur augustiora, multosq; adeò JOHANNES GEORGIOS charissima hæc Patria deveneretur. Interim, si hodiernum uostrum PATRIÆ PATREM, SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM JOHANNEM GEORGIUM II. consideremus, tuamq; Commilito, in contemplando symbolo sedulitatem sectari constituamus: eodem certè sensu FILIUS dicit: SURSUM DEORSUM, quo PARENS invocavit CHRISTUM VITÆ SUÆ SCOPUM. Ut, quoniam mirifica sanguinis æqualitas exinde cognoscitur, nostra etiam pietas concordem, ac planè similem, vovendi materiam deprehendat.

Equidem Hispanicus ille Politicus Savedra sagittam pingit, in aëre mobilem, adita Hierographia: AUT SURSUM AUT DEORSUM: Sine omnidubio elegantissimâ hâc picturâ significaturus, aut elevari in melius, aut inclinari in deterius regnorum fortunam, nec facilius eundem conservari statum posse, quam Sagittas in aërem emissas cohibere licet à casu, quo momento ad ulteriores altitudinis gradus ascen-

ascendere desinuit. Ita quod nimis abijt sursum, graviore lapsu denuo tendit deorsum. Attamen hic, & **SURSUM** simul tendit, **SERENISSIMI ELECTORIS** animus, & **DEORSUM**. Quò magis enim **SANCTA** ipsius **PIETAS SURSUM** ad **SUPRE- MAM** illam **MAJESTATEM** surgit; eò magis sese movere solet **DEORSUM**, magnisq; curis perpendit, quantum civibus, quorum salus ac incrementum animæ suæ est commissum, quantum **Reipublicæ & Patriæ**, quam custodiendam suscepit omninò debeat.

Maximè **SURSUM** elevatur! siquidem eandem ille sagittam h. e. eandem devotionem ad coelum dirigit, cujus ipse **SCOPUS CHRISTUS** est. Ac si olim **Eduardus Angliæ rex** sepulchro suo hæc verba voluit inscribi: **SURSUM** **CORDA**; Optimo fanè jure de nostro **Electore** id gloriari possumus, qui auream hanc sententiam, non sepulchris solum mortuisq; marmoribus, sed omnibus actionibus, consiliis, imò cogitationibus adscribere semper est solitus.

Equidem **Ethnicorum Imperatores** tum videbantur præ cæteris animos suos **SURSUM** direxisse, cum præ nimio ambitionis æstu divinos affectarent honores, viviq; adhuc divorum charactere collustrari cuperent: Quemadmodum non aliam ob causam **Gallienus**, notante **Trebellio**, caput suum aureis exornavit radiis, quo scilicet ornamento à pictoribus nostris hodiè depinguntur **Sancti**. Et **Clearchus Heraclæ Tyrannus**, si credimus **Justino**, filium, quasi agnatum **Tonantis Dei**, **Ceraunum** appellavit. At verò aliam planè viam ingreditur **FELICISSIMUS** noster **PATRIÆ PATER**, qui profecto nullos è sublimi suo capite radios emittit, nisi quos, velut ex aurea radice, aureos furculos provocavit infucata **Pectoris devotio**; & quos verè aureos efficit propitii **DEI** propitia & plus quam aurea **Providentia**. **Ceraunum** verò alium non agnoscit, nisi ardentem **Cordis orationem**, ac firmum obsidendi **coeli impetum**, quò **PO-**
TEN-

TENTISSIMUS ipse DEUS quam libentissimè vin-
ci se permittit.

Cogitate saltem cum animis vestris, Auditores
Spectatissimi, cur beatissimam Lutheranae Refor-
mationis memoriam, non sub finem integri, vel dimi-
dii saltem Seculi, sed sub ipso semper Novembris auspi-
cio celebrari jussit, nisi piissimam suam animam eò
subinde ablegaret, quorsum purissima hæc Reforma-
tio viam aperuit? Cur eo ipso tempore, quo nostri
IMPERATORIS coronatio erat sub manibus, pri-
mum fundamenti lapidem ad **TEMPLUM HANA-
VIENSE**, Lutheranis ædificandū, ponere non est de-
dignatus? nisi velut in pleno totius **ROMANI IM-
PERII** conspectu, vivum Pietatis exemplum præbe-
re voluisset, quantum ad ipsum **DEUM**, hoc in templo
colendum ac prædicandum, elevaretur anima.

Taceo excellentissimum illud Arcis templum,
taceo ipsam turrin, quæ, singulis fermè adhuc mo-
mentis, nova sua ornamenta sursum, ac velut in cœlū,
surgentia ostendit. Nimirum ut peregrini atq; extra-
nei etiã intelligerent, **MAGNUM** ædificii **AUCTO-
REM**, tantis ideò sumptibus, splendorem haud vulga-
rem acquisivisse, ut vel ex isto Symbolo **ANIMUS
SURSUM DIRECTUS** innotesceret.

Eqvidem in exequiis Maximiliani II. moneta ex-
cudebatur columbam designans, quæ relictis Impe-
rii insignibus, Coronâ, Sceptro, Ense, Pomo, ad cœ-
lum evolabat, adscripta verborum interpretatione:
**DUM AD SUPEROS TRANSFEROR, NIL
HUMANA MOROR: Qvas sanè cogitationes non
ineptè quidem ad Principem, in vitæ & Imperii limi-
ne constitutum, applicare omnes poterant. Sed apud
SERENISSIMUM nostrum PATRIÆ PATREM,
non SURSUM, relictis inferioribus, sed & DEOR-
SUM, non neglectis Reipubl. negotiis, extenditur
occupatissimi Pectoris indoles. Cum enim paternis
D** **fuis**

fuis cogitationibus **SURSUM** ad **DEUM** surgit, in coelesti sapientiâ sinceram sibi foeneraturus jucunditatem, sanè ibi cognoscit, quæ vis mentem retrahat **DESORUM**: quippe quod serâ Supremi Parentis voluntas est, ut templa ac Respubl. consuetventur, civesq; firmo Magistratum nexu copulandi, sub præclaro ac fideli imperio colligantur. Quamobrem **DEORSUM** descendit, infucato erga Subdito Amore stipatus. Et quemadmodum stellæ influxu suo Sublunaria corpora subinde vivificant; Sic suâ cura suaq; benignitate omnium civium sufficientiam, bonorum copiam, uno verbo, veram salutem reddit constantissimam.

Neq; deessent argumenta firmiora, si, quot Ipse annos Reipubl. laudabiliter præfuit, totidem orationibus singula liceret exequi: quantum **SERENISSIMUS** ille **ANIMUS** deorsum abiverit; quomodo his etiam annis in salutem civium templa Scholasq; promoveat, Justitiam conservet, Commercia stabiliat, verumq; **VERI PARENTIS** officium omnibus quidem numeris impleat: & quam argutè Nobilissimus Rerum Dresdensium Scriptor repetat Carmen, Pietati ac Constantiæ dicatum, quo velut Oraculo, solennitates Serenissimi Nostri Nuptiales, in medis igniû lubibus emicuerunt. Tamen cum ad tales Auditores mea dirigatur Oratio, quos propria docuit experientia, quantum publico huic debeant **BENEFACTORI**; unicum jam hoc sufficiat exemplum, cujus Parallelum vel universa Germania vix attulerit. Quæ enim hujus Patriæ Provincia præsentis belli sive onus, sive viciniam non est experta? Quæ Principum Familia, sive necessitate, sive lucri Spe, cruentis concertationibus, aut molestioribus foederum nexibus, non fuit irretita? magno undiqvâq; subditorum damno, qui præteritam nunc pacem magis dolent, quam de præfenti adhuc reddi possunt lætiores. At **SERENISSIMUS** noster **ELECTOR** omnes confœderationes, omnia consilia, omnia deniq; arma adeò sanctis, adeò

adeò piis, adeò salutaribus gubernavit consiliis, ut solus ferè inter Germanos PACIFICI nomen obtinere, nulliusq; vel Regis vel Principis, apertam offensionem metuere fuerit visus. Sic in ipso belli medio bellum non sensimus. Sic omnem armorum timorem, non in nostris prædiis, sed in Novellis adspeximus. Ac proinde, cum paucis abhinc diebus lætum JUBILÆI FESTUM, in hâc etiam nobilissimâ urbe, exquisitissimam gaudendi materiã polliceatur; nec vana apud singulos Germanos Pacis ac tranquillitatis fiducia nunc excitetur: non immeritò ad PRÆPOTENTEM DEUM humillimas fundimus preces, velit SERENISSIMUM illud CAPUT eò dirigere, ut nunquam amore suo DEORSUM tendat, nisi tam voto quam eventu illud, quod Christus optavit discipulis, h. e. AUREAM PACEM, Oculis ac desiderijs habeat expositum. Insistat vestigijs SERENISSIMORUM MAJORUM: Imitetur FRIDERICUM PLACIDUM, ne quisquam odii videat causam: Exprimat ALBERTUM ANIMOSUM, SERENISSIMÆ LINEÆ FUNDATOREM, ne quisquam belli quærat occasionem: Referat HEINRICUM PIUM, ut pacifica Consilia promoveantur, omnesq; adversariorum fallaciæ, non feliciter modò, sed gloriosè etiã ac sine splendoris jacturâ opprimantur. Quid? testetur è lumbis AUGVSTI Abavi auctum & benedictum Sangvinem profluxisse.

Et si hoc impleverit Divina Gratia, Tu, SERENISSIME PUEER, tanto semper nitesces lumine, cujus ortum non ipsis saltem optamus Natalibus, sed omnibus sanè anni diebus, Natalitium hunc fructum novo subinde fructu illustraturis. SVRSUM tende ac DEUM cole, à quo tibi regnandi potestas & potentia: DEORSUM tende, ac in civium amore boni Principis gloriam consumma. Vno verbo, id age, ut universum tuum regimen duobus his verbis queat describi: SURSUM, DEORSUM.

D I X I

ORA.

ORATIO. IV.
QUA SOLATIUM HOC POSTERITATIS
JOHANNI GEORGIO III.
SIMILLIMUM OPTAVIT.

JOHANNES Gottfried Dedekind.

JEHOVA VEXILLUM MEUM! cur enim, Auditores Spectatissimi, hoc verbo vos nolum compellare, postquam Antecessores mei votorum materiam è SERENISSIMORUM ac POTENTISSIMORUM ELECTORUM Symbolis deprompserunt? Cur si licuit audire, quam pietatis tesseram habuerit Beatus JOHANNES GEORGIUS I, aut quo Sanctitatis Testimonio nunc eniteat Potentissimus JOHANNES GEORGIUS II; minor sit voluptas proferre notam Serenissimo JOHANNI GEORGIO III. Posteritatis Parenti, multis omnibus ac auspiciis approbatam: JEHOVA VEXILLUM MEUM. Cur apud nos, quod antiqui Saxones fecerunt, in vexillò emineat vel Leo, vel Draco, vel Aquila: quibus certè animalibus nec splendorem debere potest humani generis Princeps; nec clementiæ notam referre debet publicus Populi Parens? JEHOVA Leonum, Draconum, Aquilarumq; Creator, Rex Potentia maximus, nec benignitate minor, Sacro-Sanctum suum Nomen vexillò nostrò, salutisq; perpetuo huic signo, indulgeat!

O igitur, SERENISSIME PUER, habeas in duodecimo hoc Natali tuo, hoc ipsum felicitatis omen, fore ut in vexillò, sive aureis sive adamantinis literis exprimatur fortissimum JEHOVÆ Nomen.

Eqvidem Vexilla Principum esse Symbola, vel ideò constat, quod in solennibus Regum inaugurati-
onibus ea communiter solent præferri. Primo enim ut vexilla pluviis ac telis quàm maximè patent, sic in sublimes Personas facilius calamitatum cursus delabi-

bitur: deinde quemadmodum excelso loco solent constitui, sic Principes Majestate sublimiq; suo caractere à reliquorum civium capitibus nimium distinguuntur. Tandem ut in bello militum juramenta non diriguntur, nisi ad vexilla; pari modo Princeps ipse scopus est, quorum subditorum Pietas sese deflectit, ac in quò civium sanctissima juramenta suaviter conquiescunt.

Quæ omnia si rectè nobiscum perpendimus, optima de splendidissimo hoc Symbolo nobis polliceri, faustumq; hujus Natalis omen exinde colligere poterimus. Expositus Serenissimus noster **PRINCEPS ELECTORALIS** fuit variis vitæ periculis, postquã in præsentis rerum tumultu, pretiosam suam molestiam ita obtulit, ut sepositis aulæ Patriæq; deliciis, in Campo pulverem, solem, pluvias, hostilesq; globos ferre non recusaret, dummodò Germania spem Pacis indispiceretur celeriore. Inimitetur hoc factum, dignissimus, **GLORIOSO PARENTE, FILIUS:** atq; ut hoc imitari liceat, **JEHOVÆ** Nomen effulgeat in vexillo.

Sed & sublimitatis signum è vexillò colligitur, ac ubi adhuc **ELECTORALIS** hic **PRINCEPS**, à **SUMMO PARENTE** Gubernationis Prudentiam ita addiscit, tanquàm posteris aliquando futurus utilis, magisq; aliam personam inveciturus, quàm alias virtutes; imò ne aliam quidem personam, qui Parentis simillimus Nominis quoq; Augurium retinuit; jam ita conspicuus, ita excelsus est, ut nemo in Saxoniam conjiciat oculos, quin **MAXIMUS ELECTOR, MAXIMI** hujus **FILII** causa dicatur felicissimus.

Nec aliunde hoc ipsum provenire potest, quàm quod in vexillo conscriptum est nomen **JEHOVÆ**. Sæpe equidem informaturus bonum Principem, columnam coronatam pingit, istòq; Symbolò nihil aliud innuit, quàm concordem illam Subditorum opinionem, qua nititur Majestatis excelsa Corona. Sed unde consensus, unde opinio, nisi à conspectu istius

Vexilli? Sicut igitur, cum olim aliqui scire vellent, quis Imperatori Severo esset successurus? ab Oraculo Delphico responsum est:

CUI DEDERINT SUBERI, NOMEN HABERE PII.

Sic etiam si quis de futuris Saxoniae, Misniae ac Lusatiae fati sollicitus, ab aliquo sciscitaretur, quem Rectorem habituræ sint Provinciae, postquam serus in Coelum abierit Divinus noster ELECTOR? ille designabitur, qui Emblema PIETATIS h. e. ipsum Pietatis scopum, JEHOVÆ Nomen habet in Vexillō. Quamobrem enitatur ad excelsam hanc sublimitatem JOHANNES GEORGIUS IV. & qui velut auget numerum Nominis, nunquam minuat cumulum prosperitatis.

Nos certè, sicut Milites juramenta sua deponunt ad Vexilla, ita indulgentissimum hunc Principem, divinò hoc vexillō illustrem, votis nostris & acclamationibus subinde prosequemur, quolibus olim Romani suos venerati sunt Imperatores:

*VT SALVI SIMVS, DEVS OPTIME MAXI-
ME, SERVA NOBIS JOHANNES GEOR-
GIOS. POPVLIS SAXONICIS FELICITER,
VICTORIÆ SAXONICÆ FELICITER, FI-
DEI SVBDITORVM FELICITER. TE SAL-
VO, SALVI ET SECVRI SVMVS, VERE VE-
RE. JOHANNIBVS GEORGIIS VITAM, VT
VIVERE DELECTET. TVEANTVR NOS,
TVEANTVR REMPVBL. DEVS EOS SERVET.*

Ea verò certitudo votorum est, Auditores opti-
mi, postquam votorum ipse consummator lucet in
vexillō: nec saltem oculis nostris exhibetur Angelus,
quò Symbolō vexillum suum commendavit Henricus
Auceps, è Saxonum Profapia sive Rex, sive Impera-
tor; Sed Angelorum Princeps & Dominus JEHO-
VA. Ac proinde, qui lætissimum suum Natalem hoc
tempore celebrat, JEHOVÆ nomen ita audiat inge-
minari, ut imposterum majori votorum fiducia re-
currentem Natalem celebrare possint, quorum in-
ter-

terest, florere Saxoniam. Et hoc est, quod beatissimæ recordationis ANNA, è Regia Danorum Profapia, AUGUSTI Electoris Uxor, suò apud Freibergenses Sepulchro adscribi curavit è Psalmo 128. BENEDICAT TIBI DOMINUS, UT VIDEAS FILIOS FILIORUM, PACEM SUPER ISRAEL. Benedixit Christus vitæ sopus JOHANNI GEORGIO I, ut videret Filios Filiorum, splendidissimiq; sui Nominis Hæredes, pacemq; his terris redditam; benedixit JOHANNI GEORGIO II, qui sursum direxit cor, ut non minus nunc cernat Filios Filiorum, pacemq; integro suo Regimine viderit illibatam. Quid? Sæpe celebravit pacis Jubilæa, anno 60, ob pacem ferè omnium Christianorum; anno 64. ob Turcas à Germaniæ Finibus remotos; anno 68. ob pacem Aquisgranensem; paucis abhinc diebus, novum promulgaverit ob Pacem Imperatori Germaniæq; cum externis hostibus indultam.

Et hoc fanè est VIDERE PACEM, ubi sine bellò conceditur Triumphus. Videbit aliquando JOHANNES GEORGIUS III JEHOVAM in Vexillò suo beneficum, videbit pacem super Israël. Videbit Patria eodem omine designatum JOHANNEM GEORGIUM IV.

D I X I.



CAN.

FK 2617

ARIÆ,
POST ABSOLUTAS ORATIONES
CONSONANTIBUS INSTRUMENTIS DECANTATÆ

I.

CANTUS.

Sive me Felicitas
Sblandiore flabro tangit;
Seu vicissim vanitas
Insultando pectus angit:
Sive ditioribus
Vivo Gaudiis admittus,
Sive parcioribus,
SCOPUS VITÆ MEÆ CHRISTUS.

BASSUS.

Quando Lunæ fax quiescit?
Jam cedendo labitur,
Jam surgendo svave crescit,
Ac in alta tollitur.
Sic qui SOLE CHRISTO gaudet,
Hos utrinq; cursus audet,
Ac si quis requirat, quorsum?
SURSUM dicit ac DEORSUM.

TENOR.

O Beata Mundi bella
Oveis REDEMPTOR præfidet!
His nec ira nec procella
Lauri munus invidet.
Dum Jehova fit sigillum,
Cœlites me noverint,
Arma nec me presserint
Dum JEHOVA fit VEXILLUM.

II.

CANTUS.

Sic prudenter Impero,
SCHRISTUS VITA, CHRISTUS
META,
Sancte quem desidero,
Sceptri gesta reddit læta.
Nunquam corda recreat
Unio vel Amethyftus,
Si perennis luceat
SCOPUS VITÆ MEÆ CHRISTUS.

BASSUS.

Prima cura tendit sursum,
Christus ut rogandus est;
Donec per reflexum cursum
Cura Terris interest.
Sum Divinus ac Mundanus,
Et si Mundi grex infanus
Fervidum minetur morsum,
SURSUM volvor & DEORSUM.

TENOR.

Nunquam solvitur certamen,
Et gubernans militat:
Ergo JOVA fit levamen
Siqva pugna territat.
Sive Tempus est pusillum,
Dum Pericla sentio;
Sive tutus rideo,
Dum JEHOVA fit VEXILLUM.



CAPITOLINUS IN MACRINO

CAP. III.

TANTUM DESIDERIUM FUIT ANTONINI NOMINIS, UT
NISI POPULUS ET MILITES ID AUDIRENT, IMPERATO-
RIUM NON PUTARENT.

VOTUM CHILPERICI REG. GALL. POSTQVAM
FILIIUM CLOTHARIUM BAPTISMO OBTVLIS-
SET, AP. GREGOR. THRON. LIB. X. CAP. XXVIII.

CRESCAT PUER ET HUIUS NOMINIS SIT EXECUTOR, AC
TALI POTENTIA POLLEAT, SICUT ILLE QVONDAM, CU-
JUS NOMEN INDEPTUS EST.



ne

NES
TATÆ

CRISTUS

CRISTUS

n,
ft;
m

s,

n,
SUM.

men,

LUM.



UT
O-

C
U-

ULB Halle 3
004 788 664


1077





mum simul intuemur donum, quod è manu TANTI PRINCIPIS lætissima Patria accipere est visa. Penè dixerim, vel omni potius jure affirmaverim, Guidonis illa beneficia, cum NATALITIIS nostris Præmiis comparari omnino haud posse.

Quantulum enim auri fuerit quod tantis ponderi sufficiat? Ast si simili PRINCIPUM REGIMINE fortunarum ac divitiarum augere eoq; commodum auri argentiq; sit ita fuerit, sive in veritatem, sive in injuriis, quin auri reum vel gentium reputet, cuius accessione tuâ opulentiâ poterit gratulari.

Et commisit nativitate hoc cecidit nummus, in hoc cufus, quem insis ab Anglis ex-

Quasi diceret TES. ne à copiosissimò quidem exercitum tantam in univer- sicos cives confidissimos milites, quàm ab unico sibi soleant pol- liceri. Sanè e mili sub felicissi- mam JOHAN Nativitatem au- ream vel argenti- n exprimere po- tuisset Patria: ES SAURI.

Hoc est: Tantum non esset secu- ritas, si vel cur- rit millenæ Auri- massæ, quanta- is est, quem Po- steritas divitiar- rem. Et mille- nariam hanc fo- n contemnendis- jamdudum exhib- CHRISTIANI

I. SAXONIÆ Iphium, quod è Salomonis Cantico Cantecorum raustissimam hanc gerit tesseram: COLLUM TUUM SIMILE TURRI DAVIDIS, ARMATURIS BENE INSTRUCTÆ, DE QUA MILLIA PENDENT ARMA, ET VARIA SCUTA HEROUM. O divinum vaticini-

